



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 109. An Sacramenta deleant peccata, discutitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1547.

§. CIX.

*An Sacramenta deleant peccata,  
discutitur.*

Articulus quintus, utrum Sacramenta gratiam conferant, deleantque peccata, omittendus credebatur, eo quod superiori loco, ubi de fide actum, jam decisus esset. Verum Bartholomæus Miranda suggestit, quod Lutherus ex suo illo paradoxo, quod Sacramenta gratiam non conferant, nisi excitando fidem, hanc conclusionem elicuerit, Sacramenta veteris & novæ legis pari esse virtute, quam opinionem æquum est damnari, uti doctrinæ Patrum, & Ecclesiæ repugnantem, cum ii omnes asserant, Sacramenta antiquæ legis esse signa solum gratiæ; novæ autem, gratiam & continere & producere. Conclusio- ni huic nemo certe refragabatur, & Franciscani tantum objectabant, mentionem legis veteris non faciendam, sed Legis Mosaicæ: siquidem inquiebant ipsi, circumcisio ipsa conferebat gratiam, sed Sacramentum Mosaicum non erat. tum quia Christus ipse dixerit non esse a Moyse, sed a Patribus; tum quia alia Sacramenta ante Abrahamum gratiam conferebant, & procurabant. Dominicani autem replicabant, quod D. Paulus clare dixerit, quod Abrahamus acceperit circumcisionem tantum



*tantum in signum: id ipsum vero significaret* Sæcul. XVI.  
*fidei iustitiam, atque, cum ille primus omni-* A. C. 1547  
*um esset, cui data fuerit, hoc innuat, circum-*  
*cisionem in signum tantummodo fuisse insti-*  
*tutam.*

Porro ut hæc disputationes cohibe-  
 rentur, declaratum, haud consultum  
 fore, ut in præsentis decreto rursus hæc  
 quæstio moveretur, cum in priori Ses-  
 sione jam esset decisa.

§. CX.

*An Sacramenta statim post Adæ pec-*  
*catum instituta conferant gratiam?*

Articulum sextum Dominicani dam-  
 nandum censebant asserentes, esse  
 proprium Sacramentorum Evangelicorum  
 conferre gratiam, a veteribus autem nequa-  
 quam obtentam, nisi virtute devotionis: quæ  
 fuit D. Thomæ opinio. Ad opinionem  
 suam firmandam citabant decisionem  
 Concilii Florentini, asserentis Sacramen-  
 ta Legis veteris non conferre, sed præfigu-  
 rare eam gratiam, quæ passione Christi es-  
 set conferenda. Cum vero D. Bonaven-  
 tura & Scotus tenuerint, circumcisio-  
 nem contulisse gratiam ex opere opera-  
 to, immo Scotus asseruerit, illico post  
 peccatum Adami institutum fuisse Sa-  
 cramentum, quo infantibus data erat  
 gratia ipsius Sacramenti virtute, id est,